Dissertatio inauguralis medica de oscitatione ut signo in morbis / [Johann Konrad Finger].

Contributors

Finger, Johann Konrad.
Büchner, Andreas Elias, 1701-1769.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : E Typographeo Hendeliano, [1758]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/n7b7enkf

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

22607/P
53050

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE

OSCITATIONE
VT SIGNO IN MORBIS

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
PRO-RECTORE FRIDERICIANAE MAGNIFICO
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS
AD D. SEPTEMBR. A. S. R. cIↃ IↃCC LVIII.
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
IOANNES CONRADVS FINGER
HERRNSTADIO-SILESIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE E TYPOGRAPHEO HENDELIANO.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

VIRO
EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO
ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

CAROLO THEOPHILO ROGISS

MEDICINAE DOCTORI ET PHYSICO CIRCVLI
GVRAVIENSIS FAMIGERATISSIMO,

ITEMQVE

REGII GLOGAVIENSIS COLLEGII MEDICI ADIVNCTO
MERITISSIMO,

PATRONO ATQVE FAVTORI

SVMMA ANIMI SANCTITATE AD CINERES
VSQVE DEVENERANDO,

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

QVICQVID LITERVLARVM EST,

TESTIMONIO

SVMMAE SVAE VENERATIONIS

AC OBSERVANTIAE,

CVM MAXIME PIO ET ARDENTISSIMO VOTO

OMNIGENAE ET SEMPITERNAE PROSPERITATIS

ET CORPORIS INTEGRITATIS,

SACRVM ESSE IVBET

DEVINCTISSIMVS CVLTOR

IOANNES CONRADVS FINGER,

HERRNSTADIO-SILESIVS.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

OSCITATIONE, VT SIGNO IN MORBIS.

PROOEMIVM.

Qui multiplices illas variasque ſingularum corporis humani partium vires actionesque accurata perſecuti ſunt expoſitione, Phyſiologi per luculentiſſimas abunde ſatis euincunt demonſtrationes, nullas omnino in vniuerſa vitali noſtra machina deprehendi mutationes, quae ſolo quaſi partium ipſarum adfectarum atque mutatarum ambitu continentur, neque ad reliquas etiam partes,

praecipua quadam connexione aut propiori vicinitate coniunctas, transeant, easdemque rapiant in consensum. Atqui haec peculiaris omnium mutationum in corpore nostro communio consensusque iam pridem Medicis materiam praebuit, non morborum modo & complicatorum cum iisdem symptomatum indolem caussasque exinde reddendi explicatiores atque luculentiores, verum etiam ex iisdem his phaenomenis, per consensum partium ortis, consectandi plura, quae Semiologiae medicae, nec dum satis elaboratae, aliquid emolumenti incrementique adferre possent. E quibus istiusmodi inprimis actiones corporis humani prae reliquis ad hos vsus aptissimae conuenientissimaeque videntur, quarum complicatior ampliorque est mechanismus; quoniam hinc fieri non potest, quin plurium partium coniunctiori vniantur nexu. Harum actionum e numero quum *Oscitationem* quoque esse intelligerem, protinus sollemne profectuum meorum medicorum specimen meditatus, circumspicere coepi, vtrum huic argumento pertractando & ad semiologicas inprimis rationes reuocando ante me vacauerint quidam, nec ne? At enim vero perspexi

mox,

mox, nisi me fefellerunt omnia, hanc saltem in messem Medicorum neminem adhuc immisisse falcem. Operae itaque existimaui pretium, quoad eius facere potero, de *Oscitatione* ita agere, vt, quae in semiologicis inde euolui possint, lectores mei edoceantur. Quibus conaminibus meis vt diuinum annuat Numen, ardentissimis precibus oro exoptoque.

§. I.

At dum optimam euoluendorum ex *Oscitatione* signorum medicorum, in cognoscendis variorum, qui corpus humanum adfligunt, adfectuum naturis rationibusque & euentibus aestimandis profuturorum, methodum conuenientemque meditor ordinem, inconcinne oscitanterque meo perfunctturus mihi videor instituto, nisi ita disputandorum disponam seriem, vt primo ipsius *Oscitationis notio* naturalisque mechanismus e Physiologorum praeceptis expediatur; dein vero ex cognitis his singulis partibus, ad producendum hunc peculiarem motum mutuas conferentibus vires, earundemque varia adfectione ea desumantur argumenta, quae definiendae designandaeque diuersae morborum diagnosi prognosique inseruire possunt.

§. II.

§. II.

Verum enim vero maxime esset verendum, ne bona lectorum pars prae nausea satietateque sint oscitaturi, si longo sermone ipsos ad controuersam vocabuli oscitationis etymologiam morari vellem *a*). Contra ea praesentis potius interest propositi, praemonere paucis, aliam quandam huius generis actionem, haud adeo dissimili motu musculari constantem, quam *pandiculationis* nomine vulgo designare solemus, ab oscitatione omnino esse distinctam; licet ceteroqui saepius vtraque coniunctim & vno quasi actu edatur. Quippe in hac conspicua quaedam atque definita respirationis mutatio, & peculiaris ducendi spiritus occurrit ratio, quae, dum pandiculamur, non obseruatur: vt plurimas alias huius differentiae notas, quas Physiologorum est explicare, in praesentia silentio praetermittamus *b*).

§. III.

Quod si vero, quid sit oscitatio (§. I.), quaeras, paullo intentius animum aduertere te oportet ad varia ista phaenomena, quae partim ante oscitandum in corpore eueniunt, partim ipsam efficiunt absoluuntque oscitationem. E priori genere inprimis sunt antecedens

a) Si quis tamen forte lautiusculis huius farinae cupediis delectetur, habebit, quo cupiditati satisfaciat suae, euoluturus illustris quondam *Mich.* ALBERTI Dissert. *de Oscitatione*, Halae nostrae anno MDCCXXXVII. emissam, §. I.

b) Confer de his plura, si placet, in Celeberr. *Aug. Frid.* WALTHERI Dissert. *de Oscitatione*, §. I. Lipsiae, ann. MDCCXXXVIII. & *Magnifici atque Illustris* PRAESIDIS Dissert. *de Oscitationis mechanismo*, anno MDCCXLIX. disceptata.

dens quaedam vniuerſi corporis grauitas atque laſſitudo, muſculorum, praecipue ad reſpirationem pertinentium, laxitas atque debilitas, obſcurum quendam inferens ſtuporem torporemque, & tardus denique ſanguinis & humorum, praeſertim per vaſa pulmonalia, progreſſus, cum ſenſationum, neſcio qua, ignauia & deſide actione. Atque tunc obſcura quaedam ſuperuenit imaginatio; a qua protinus lenta, ſenſimque ſuccedens, & naturali profundior excitatur inſpiratio, cum longa amplaque oris diductione coniuncta, quam deinceps aeque lenta & perfecta ſequitur exſpiratio. Cui ipſi actioni tum *oſcitationis* indimus nomen.

§. IV.

Anteaquam vero omnes, quae ad hanc actionem (§. III.) conſpirarunt, partes ſigillatim recenſeamus, *generaliores*, qui in corpore humano abſolutam ſequuntur oſcitationem, *effectus*, duobus, quod aiunt, exponere liceat verbis. Atqui has oſcitationi ſuccedentes mutationes a quotidiana fere experientia locupletiſſime edocemur. Quippe, ſimulac quispiam oſcitauit, ſingularem & obſcure gratam percipit ſenſationem, corporis laſſitudo atque grauitas quaſi ad momenta temporis abſtergitur, muſculorum torpor itidem a reſtituta naturali contractione excutitur, & ipſe ſanguinis motus nonnihil acceleratur, efficaciorque euadit. Verum haec omnia generatim tantum & velut in transcurſu accidere obſeruantur. Qui autem *ſpecialius* in diuerſis humanae machinae locis inde eueniunt, effectus deinceps luculentius tradi poterunt, ſi prius varias illas

compositas operas, a variis partibus ad oscitationis actionem collatas, breuissime fuerimus persecuti.

§. V.

Atqui hoc in actu, sicuti curiosius attendentibus facile constare potest, plerique, quibus alias masticatio, deglutitio, respiratioque perficitur, musculi partim intenduntur contrahunturque, partim remittuntur atque relaxantur. Inprimis vero prae reliquis ad oscitationem suam conferunt opem omnes ossi maxillari inferiori partibusque subiectis & vicinis mouendis dicatae carnes. Quippe, vt deorsum declinet haec maxilla, efficiunt potissimum biuentres musculi, singulari ratione fibris suis tendineis intermediis ad os hyoides religati, simulque, anteaquam ad os maxillare inferius reuinciuntur, cum musculis mylohyoideo & stilohyoideo coëuntes. Praeter hos vero concurrunt quoque reliqui, huius ossis descensum adiuuantes musculi, aliique ossi hyoidi contiguisque partibus annexi, verbi caussa, ex parte pterygoidei externi, geniohyoidei, genioglossi, sternohyoidei, coracohyoidei, homohyoidei, & ceteri, qui supersunt, plures. Quo minus autem exinde rictus oris subito & quasi raptim contingat, ipse impedit renisus musculorum, maxillam hanc eleuantium, temporalium, masseterum, & internorum pterygoideorum; quorum relaxatio quasi per gradus fit, adeoque huic maxillae placide mouendae praecipue inseruit *c*).

§. VI.

c) Subtilius, pro more suo, muscularem hunc organorum, osci-

§. VI.

At coniuncta cum maiori oris rictu sub oscitatione inspiratio profunda (§. III.) longe profecto maiorem musculorum numerum in conspirantes agit motus. Nolumus autem exspectari hic a nobis amplam singulorum horum musculorum recensionem; quum eadem omnes physiologici scriptores locupletissime perfungantur, complurium pectoralium, inprimis intercostalium, nec non abdominalium communem in agendo concursum demonstrantes. De hoc autem seorsim moneri se patiantur lectores, quod sub oscitatione, quippe non simplici respiratione, sed maiori inspirationis exspirationisque gradu (§. *cit.*), plures hic, alias quiescentes, conspirent musculi: cum spiritui profundius adducendo inseruientes, scaleni, trapezii, mastoidei, ceruicales descendentes, pectorales, leuatores costarum, serrati superiores, aliique nonnulli; tum similem validiorem adiuuantes exspirationem, sacrolumbares, longissimi dorsi, atque quadrati. Quorum singulorum varias agendi rationes ex Anatomicorum demonstrationibus repeti oportet *d*).

oscitationem producentium, mechanismum exposuit celeberrimus *Aug. Frider.* WALTHER, in *Dissert. citat.* §. II. sqq. cui adiici oportet illustrem *Albert. de* HALLER in *Primis lineis Physiologiae*, §. DXCVII. & DXCVIII, & *Magnificum* PRAESIDEM in *Dissert. citat.* §. V. & VI.

d) Huc quoque conferas modo laudati *de* HALLER *Libr. cit.* § CCXCI. & CCXCVI, & excellentissimi *Christiani Gottlieb* LVDWIGII *Institutiones Physiologiae*, §. 441. & 442. & prae reliquis *Magnifici* PRAESIDIS *Dissert. citat.* §. II. & III.

§. VII.

At in tanta tamque amplissima musculosae actionis, quae ad oscitationem pertinet (§. V. VI.), complicatione, quae non sine singulari efficacissimaque omnium actionum vitalium naturaliumque adfectione fieri potest, quis non insignes in vniuerso corpore humano ab oscitatione excitatum iri mutationes ominetur? Considerate modo, ni taedet, lectores, tot tamque multiplicium musculorum, quos nominatim tantum attigimus (§. *cit.*), cum diffusissimis neruorum generibus, quinto, octauo siue vago, & intercostali, mutua eaque arctissima commercia; expendite respirationis grauissimum in omnes reliquas machinae nostrae functiones imperium; intueamini denique varias, quae itidem exinde sanguini humoribusque circulantibus accidunt, vicissitudines mutationesque, neque profecto erit, cur diuersos istos oscitationis effectus, tam generales, superiori loco (§. IV.) iam recensitos, quam specialiores quosdam, protinus breuissime exponendos, magna prosequamini admiratione.

§. VIII.

Nempe inter has *singulares*, qui in oscitantibus eueniunt, *adfectus*, primo lubet nominare loco eos, vnde variarum capitis partium actiones immutantur. Quo nomine inter oscitationis comites referri oportet auctiorem saliuae excretionem, a glandulosis ipsius promtuariis, per agentes circumiectos musculos compressis, inductam *e*); porro leuem quan-

e) Ad physiologicas rationes hoc phaenomenon expendit cele-

quandam interdum illacrymationem, a ſimilibus cauſſis oriundam *f)*; tum auditus grauitatem, quae externae meatus auditorii ſub oſcitatione coarctationi, & maiori tubae Euſtachianae apertioni debetur g); ipſam denique deglutitionem prorſus interceptam, nec non loquelae ſummam difficultatem & ad diſtinctos ſonos producendos ineptitudinem, quae quin oriatur, fieri non poteſt, quum ipſis his actionibus alias deſtinati muſculi hyoidei, pharyngei, & laryngei ſub oſcitatione, vt ſupra oſtendimus (§. V.), potiſſimum in motum agantur *h)*.

§. IX.

Sed in reliquo, quod ſupereſt, corpore itidem quaedam partes, earundemque varii motus ſingulariter ab oſcitatione immutantur. Quandoquidem non ſolum vniuerſa reſpirationis organa hoc ſub actu variam ſubeunt mutationem, vti iam ex ſupra diſputatis (§. VI.) patuit; ſed ſpeciatim quoque dum oſcitatur, pars aſperae arteriae intra pectus retrocedit, aër copioſius pulmones ſubit, omnesque bron-

celeberr. WALTHER in *Diſſert. citat.* §. VI. quocum confer *Magnifici* PRAESIDIS *Diſſert. citat.* §. XIX. & celeberr. ALBERTI *Diſſert. allegat.* §. IV.

f) Denuo hic excitandi ſunt celebratiſſimi viri, WALTHER & ALBERTI in *Diſſertationibus citatis:* prior §. XVIII. & poſterior, §. IV.

g) Huius quoque phaenomeni mechanismum ſubtilius in *citatis ſcriptis* tradiderunt *Magnificus* PRAESES, §. XVIII. WALTHER §. VII. & ALBERTI §. III.

h) Hic etiam videſis ante omnes WALTHERIANAM *Diſſertationem* §. II. ad V. & VIII. cui addi poteſt ALBERTI in *Diſſ. citat.* §. III. & ſequent.

chiorum ramos quaquauersum in longitudinem latitudinemque distendit, eoque modo sanguinis per pulmonalia vasa transitum celeriorem vegetioremque *i*) reddit (§. IV.). Simul vero amplissimum illud transpirationis insensibilis genus, quod a pulmonum vasculis exhalantibus efficitur, a fortiori, dum remittit oscitatio, exspiratione, copiosius & profusius euadit, saepiusque sic spissiores stagnantesque humores, pneumonicum viscus offendentes, efficacissime discutit expellitque *k*). De consilio denique tacemus hic, vt breuitati prospiciamus, singulares intensosque, qui hic conspirant, diaphragmatis, pericardii, intestinorum, omniumque viscerum abdominalium motus; quippe qui ex respirationis theoria, quam Physiologi tradunt, Medicorum nemini incogniti obscurique esse debent *l*).

§. X.

Verum enim vero perpaucis adhuc variorum horum motuum, ad oscitationem perficiendam concurrentium, *caussae proximae* atque *efficientes* restant euoluendae; quandoquidem eaedem ipsae saepenumero aliorum quoque adfectuum, subinde humanum adfligentium corpus, rationes complectuntur, eoque nomine ad aestimandas eorundem morborum diagnoses prognosesque praecipuae sunt commodi-

i) Plenius omnia haec disputauit saepenumero iam laudatus WALTHER in *Dissert. citat.* §. IX. & sequent.

k) Hunc effectum inprimis euidentissime demonstrauit modo citatus WALTHER in *Dissert. allegat.* §. XIII.

l) Seorsim tamen & haec phaenomena exposuit iam dictus celeberrimus WALTHER in *Dissert. cit.* §. XIV. ad XVI.

moditatis vtilitatisque. Atqui hic ea repetentes animo phaenomena, quae oscitationis sunt incitamenta (§. II.), haud leuibus incongruisque argumentis videmur nobis vniuersum omnium caussarum, vnde ad oscitationem impellimur, apparatum ad solam rectissime deferre lenissimam fibrarum musculoso-neruosarum, motui respiratorio & maxillari destinatarum, irritationem, a progressiuo sanguinis atque fluidi neruei per easdem motu quomodocunque, sed leuissime tamen, retardato atque impedito excitatam, & cum anima, obscuro tantum sensationis genere, communicatam *m*). Quorum impedimentorum, profluentibus per vascula humoribus obiectorum, quum plurimae porro esse possint caussae, haud adeo mirum esse oportet cuidam, qui fiat, vt naturali non solum actionum vitalium corpori, verum etiam haud paruo morborum numero frequentiores superueniant oscitationes.

§. XI.

Proinde quoque quoniam hae ipsae oscitationes (§. X.) eiusmodi sunt phaenomena, quae, si in corpore humano eueniunt, sensibus deprehendi, & ex quorum praesentia eorundem etiam caussae (§. *cit.*), vt praesentes, colligi possunt, apertae est demonstrationis, per ipsam *signi* notionem philosophicam,

m) Obscuram hanc intricatamque oscitationis aetiologiam enodare distincteque explicuit *Magnificus* PRAESES in *Dissertat. citat.* §. XIII. seqq. quocum tamen conferendus quoque est saepe laudatus illustris WALTHER in *Dissertat. citat.* §. XVII. & XVIII.

cam, Medicum oscitatione, vt signo, commodissime vti posse. Verum enim vero quum ea corporis nostri sit conditio, is status, vt omnes omnino, quaecunque accidunt, mutationes certo quodam & per ipsius machinae humanae rationes definito modo inter se conueniant conspirentque: sequitur exinde euidentissime, vt ex ipsa hac conspiratione consensuque haud dubia intelligi possit coniectura, cum ex quibus praeteritis motibus, tanquam caussis, ipsae oscitationis ortae fuerint caussae; tum quales nouae ex iisdem his ipsis futurae in humano corpore sint mutationes. Ex quo apparet, aliquid etiam adminiculi in oscitationum consideratione medica esse positum ad praesentem, praegressam, venturamque corporis nostri conditionem perspiciendam. Atqui vero circulatio humorum quomodocunque retardata atque impedita, simulque obscura sensatio ingrata inde concitata, oscitationum quippe caussa (§.*cit.*), qualibuscunque adfectionibus humanae sanitatis morbosis iure meritoque inserenda est; sicuti in Pathologorum scholis locupletius demonstratur: vnde vel ipso hoc nomine oscitationes inter *morborum signa* haud postremum occupabunt locum.

§. XII.

Ad faciliorem itaque morborum, diuersorumque, quos subeunt, statuum intelligentiam oscitationum indicia impraesentiarum expositurí, & ad physiologica, quae iam commentati sumus (§. III–X.), dogmata amplius exacturi, vt concinnior explicatiorque nostra sit disputatio, duobus inprimis generi-

neribus omnem hanc ſignorum, a ſingulari huiusmodi oris hiatu petendorum, vniuerſitatem diſtinctam diſpoſitamque ſiſtemus: altero, quod velut *generalem* horum indiciorum complectatur *claſſem*, easque generatim euoluat mutationes, quas primariae magisque vniuerſales corporis humani functiones ſub obſcitabundo motu ſubeunt; altero vero, quod per partes quaſi eat, eaque *ſpeciatim* & ſeorſim expendet, quae variis ſingularibus noſtrae fabricae partibus, dum oſcitatur, contingunt, variorumque morborum peculiarium praeſentiam indolemque deſignant.

§. XIII.

Quodſi igitur primo praeſentem corporis humani ſtatum ſub oſcitatione generatim intueamur (§. XII.), adeoque inſolitum hunc motum *diagnoſtici ſigni* loco habeamus, facillima e collectis comparatisque, quas ſupra expoſuimus (§. X.), huius phaenomeni cauſſis eſt iudicatio, adeſſe iam in noſtra machina quantulamcunque omnium actionum vitalium, motus nempe circulatorii humorum fluidique neruei, itemque reſpirationis difficultatem, vndecunque productam, arctiſſimoque vinculo cum hac connexam obſcuram torporis laſſitudinisque ſenſationem (§. *cit.* & III.). Caue autem, exiſtimes, in quotidianis, torpidorum, ſegnium, dormiturientium, aut adhuc a capto ſomno ſemiſomnium hominum oſcitationibus haec fieri ſecus, aliudque illis ſtatuendum eſſe pretium. Tantum enim abeſt, vt in his dictae deficiant cauſſae, vt potius leuiſſimus tantum earundem gradus, facillime nouo &

ab irritatione incitato contractili musculorum motu tollendus, subobscuram praedictarum mutationum coniunctarum reddat sensationem. Contra ea frequentissimae, continuae & inuitis hominibus accidentes oscitationes, quas *oscedinem* Latini, χασμωδίαν Graeci appellant *n*), grauitatem ante memorati vitii, vitales motus nonnihil laedentis atque corrumpentis, testantur, certissimam foecundissimamque, ni tollatur protinus, plurimorum morborum matrem euasuram. Vnde etiam veteres Medici, haud inidonei signorum medicorum scriptores, HIPPOCRATES, GALENVS, AVICENNA, aliique *o*) inuitos atque crebriores oris ad oscitationem rictus morborum classi inseruerunt.

§. XIV.

Quae vero ex frequentioribus huiusmodi oris hiatibus (§. XIII.) generatim *praenosci* praeiudicarique possint, facile ex ante disputatis (§. *citat.*) clarum distinctumque esse potest lectori. Quandoquidem ex grauiori istius generis humorum per canales euntium difficultate atque tarditate non solum fibrae solidae, liberiori fluidi vitalis neruei influxu interclusae, pristinum naturale amittent robur, laxioresque euadent, verum etiam ipsa fluidorum moles

n) Vide, si lubet, *Auli* GELLII *Noctium Atticarum* Libr. IV. Cap. XX. cui addi merentur *Hieronymus* MERCVRIALIS in *Variarum Lectionum* Libr. V. Cap. X. & saepius iam laudatus WALTHERVS in *Dissert. citat.* §. XVIII.

o) Ne longi simus, excitabimus solum *Ioannem Conradum* BARCHVSEN in *Collectis Medicinae practicae generalis*, Cap. V. §. XX. haec veterum auctorum loca indicantem.

moles spissiorem inquinatioremque contrahet mixtionem, passimque congestionibus stagnationibusque effectis, spasmorum, inflammationum, infarctuumque variorum origini dabit ansam. Quo nomine haec iam pridem intuiti veterum Medicorum perspicacissimi quidam, hominibus frequentissime oscitantibus imminentes augurati sunt morbos *p*). Quos secutus e recentioribus *Daniel* SENNERTVS, haud ignobilis auctor: *Oscitatio*, inquit *q*), *& pandiculatio etsi saepe pigritiae saltem signa sunt, aut ex imaginatione proficiscuntur: interdum tamen a caussa morbifica ortum habent, & morborum instantium sunt praesagia.* Cui adiicere liceat *Franciscum du* PORT, elegantissimi ingenii poëtam Semiologum, & sine merito suo hodie paullo obscurioris nominis, de morborum imminentium signis ita canentem *r*):

Si praeter solitum macies, aut corpus obesum,
Aut calor, aut grauitas, aut somnia plena tumultus,
Eque breui somno sopor, aut cutis vlcere foeda est;
Si sudor pectus, ceruicem, crura, genuue
Permeat, aut animus languet, corpusue fatiscit;
Si dolor aut oculos tenet, aut praecordia, pectus,
Aut capitis venas, horrorue perambulat artus,
Spiritus aut grauis est, repetitus & oris hiatus,
Adfore praedicas, vel adesse in limine morbum.

p) Confer eundem, quem modo not. *o*) allegauimus, scriptorem, eodem loco.

q) In *Institutionibus medicinae* Libr. II. Part. III. Sect. II. Cap. V. pag. 457. Edit. Vitenbergens. ann. MDCLXVII.

r) In *Libris IV. de Signis morborum*, Libr. I. Cap. VIII. p. 11. Edit. Parisiensis, ann. MDCLXXXIV.

Quibus omnibus denique, licet tacite, adsentit etiam *Hermannus* BOERHAAVE, vir in tantum laudandus, in quantum omnibus paene reliquis Medicis doctrina & celebritate antecelluit, a lassitudine insolita & corpore torpido, quippe oscitationis prodromis & irritamentis (§.II.), futuri morbi signa deducens *s*).

§. XV.

Verum enim vero quum & ipsa oscitatio, & eiusdem caussae suis innitantur caussis, tanquam effectus, haud incerta quoque iudicatione, ope ratiocinii iusti atque exacti, praegressae istae corporis humani mutationes, a quibus praesentes vitiosae oscitationemque efficientes dependent, in Medici notitiam peruenire possunt. Generalem itaque hanc *anamnesticorum signorum*, ex oscitatione, praesertim frequentiori, deducendorum classem euoluturos nos ante omnia attendere oportet ad omnia ea mutationum, in fabrica nostra obuenientium, genera, quae qualemcunque motuum vitalium inertiam (§. X.) producunt. Huc vero, docentibus Pathologis *t*), pertinet potissimum in genere solidarum partium imbecillitas atque atonia, liquorum vitalium mixtio peruersa nimisque spissa & glutinosa, aut copia iusto maior minorue, vel in vniuerso corpore, vel in peculiari tantum eiusdem parte haerens,

s) In *Institutionibus medicis*, §. 898.

t) Conferendi, verbi caussa, sunt *Magnificus* PRAESES in *Fundamentis Pathologiae generalis*, Sect. I. Cap. II. §. XXV. & *Perillustris Gerardus L. B. van* SWIETEN in *Commentariis in Hermanni* BOERHAAVE *Aphorismos de cognosc. & curand. morb.* §. 106. vt alios taceamus.

haerens, & inaequali renisu in solidorum vasculorum agens compagem. Quodsi vero porro, ducibus iisdem Pathologis, in horum phaenomenorum origines inquiras, intelliges, huiusmodi solidorum debilitatem, incongruamque fluidorum conditionem, infinitis deberi caussis; verbi gratia, diuturnis vigiliis, immoderato somno, diaetae lautae, intensiori longiorique musculorum motui, excretionibus naturalibus aut nimiis, aut parcioribus suppressisue, inaequali & intemperato ingestorum erga egesta habitui, plurimisque aliis; quas hic recensere amplioris, quam hae ferunt paginae, instituti esset futurum. Atqui vero omnium singulorumue horum adfectuum pristinae iniuriae, huius vel illius hominis sanitati subinde illatae, saepenumero quoque per crebriorem oscitationem sui memoriam in Medicorum notitiam reducunt.

§. XVI.

At profecto, quae in singularibus morborum generibus, indolis euentusque intuitu, ab oscitationum magnitudine frequentiaque speciatim manifestantur, nunc porro (§. XII.) peculiarem exigunt considerationem. Qua in re vt eo strictius institutum expediamus nostrum, semiologicas has obseruationes variorum veterum recentiorumque Medicorum, quas sub crebriori repetitaque experientia

multa dies & multa litura coërcuit u),

confirmauitque, secundum summa quaedam morborum genera sumus exposituri. Agmen horum

 ducant

u) HORATIVS *de arte poëtica*, vers. 293.

ducant febres, amplissimum genus; subsequantur haemorrhagiae; tum succedant molestissimi grauissimique congestionum sanguinearum serosarumque comites, dolores nempe spastici, rheumatici, arthritici, conuulsiuique; hos excipiant omnium iniquissima & aegre explicabilia labis viscerum deiectique in solidis partibus roboris consectaria; tandemque agmen claudant aliquot mala, quae infantes inprimis, feminasque grauidas aut parturientes infestant.

§. XVII.

In *febrili genere* (§. XVI.) quasi regnant oscitationes; testibus tam quotidiana experientia, quam ingenti obseruatorum medicorum apparatu *x*). Cuius phaenomeni ratio eo minus obscura esse potest cuidam, quo magis quantulicunque minimorum & extremorum vasculorum spasmi, insultus febrilis auctores & velut promi condi, sanguinis motum & influxum nonnihil retardant, eoque ipso modo musculis molestiam creant, torporisque inferunt sensum oscitationis irritamentum (§. III. X.). Sicubi ergo oscitauerint eiusmodi aegrotantes frequentius profundiusque, non solum certissima prognosi praedicenda est febrilis paroxysmi accessio; sed ipsa quoque oscitationum insolita frequentia & diutur-

x) Vin', vt excitem hanc nubem? Profecto haud serio velis, nisi longissimam quoque omnium Pathologorum Semiologorumque, qui ab HIPPOCRATIS temporibus ad recentissimam vsque aetatem inclaruerunt, velis enumerationem. Interim omnia hactenus laudata atque allegata scripta haud incommode hanc in rem euolui possunt.

diuturna protractio, nisi aegrotantis consuetudo interludat, grauiorem longioremque spasmorum febrilium durationem & maiorem, copiosiorem, efficacioremue materiam morbificam locupletissimo indicio manifestat.

§. XVIII.

At prae reliquis *intermittentium febrium* genus inter diagnostica, quibus se obseruantibus sistit, signa frequentiores sibi vindicat oscitationes, misero aegroto tam ingrati & molesti hospitis accessionem denunciantes. *Oscitationes*, inquit HIPPOCRATES *y*), *febres praecedunt*, & quidem, vt reliqua illic disputata conferentibus primo constabit intuitu, *intermittentes*. Grauius tamen hi ipsi graues febris venturae indices, partim in tertiana sub prioribus paroxysmis, dum accessum indicant *z*), partim in genere, adnotante *Laurentio* BELLINO *a*), in quartana homines inuadunt. Quorum phaenomenorum rationes haud difficiles sunt explicatu, si arctissimum illud mutuum ventriculi cum diaphragmate ceterisque respirationis organis vinculum, a natura per vagi intercostalisque paris neruei filamenta nexum (§. VII.), paullo attentius intueamur, simulque consideremus, primis praecipue febrium intermittentium temporibus primas vias cruditatibus variis insigniter esse obrutas, anteaquam concoctiones earundem

y) In *Libro de Flatibus* p. 298. *Edit. Foesian.* Geneu. MDCLVII.

z) Conferre hac de re plura potes in *Magnifici* PRAESIDIS *Fundamentis Semiologiae medicae*, Part. specialior. Sect. I. Cap. I. §. I. & Illustris ALBERTI *Dissert. citat.* §. IX.

a) In *Libro de Febribus*, Proposit. XXIII.

rundem criticae molestam hancce materiem aut correxerunt, aut penitus sustulerunt *b*).

§. XIX.

Tantum vero abest, vt reliquis febrium classibus suae & velut propriae, eaeque ominosae desint oscitationes; vt potius passim, tanquam variarum iudicationum medicarum adminicula & argumenta, sint animaduersae. Audite legiteque, ni piget, lectores, quid, *exanthematicarum febrium* intuitu, *Franciscus du* PORT, iam supra a nobis honorifice excitatus (§. XIV.), ex eiusmodi superuenientibus oscitationibus, non sine aliorum symptomatum consortio obseruatis, praedixerit, vt vates.

Erumpent, inquit *c*), *illis papulae, quibus* oris hiatus
Crebrior, expansaeque manus, corpusque per omne
Punctio, cum querulo capitis dorsique dolore;
Raucaque vox faciesque rubens, lacrymaeque profusae,
Spiritus haud facilis, naris pruritus & auris,
Et pauor in somnis tremulus, febrisque, sitisque est.

Praeter haec vero haud rarae quoque est obseruationis, in iis, qui a seroso ad pituitariam SCHNEIDERI membranam, glandulas faucium colliqueſalituales, & bronchialia vasa decubitu in *catarrhales* incasuri sunt *febres*, frequentiorem plerumque contingere oscitationem, imminentis iam insultus febrilis praenunciatricem. Quod vtrumque febrium genus quum, sicut e pathologicis constat, corrupto &

b) Plurima quoque huc pertinentia eximie disserit *Magnificus* PRAESES in *Dissert. citat.* §. XXII.

c) In *Libro citat.* Libr. IV. Cap. XXIII. p. 117.

& stagnanti in vasculis minimis humori seroso lymphaticoque ortum debeat suum, & posterius inprimis masticationis, deglutitionis, respirationisque organa occupet, minime profecto mirum est, haec ipsa loca, ob perfluentium humorum tarditatem atque lentorem, ad frequentes excitari oris hiatus (§. X.).

§. XX.

Praeter ea vero haud infrequentis est obseruationis, vt auctor testisque est celeberrimus quondam vir, *Michael* ALBERTI *d*), quod in febribus biliosis in initio, quando acris haec materia in primis viis febri

nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam,

& febriles protinus excitatura est aestus, aegrotantes crebrius oscitent, & accessuri sui mali indicium exhibeant. Denique fuerunt etiam interdum *pestilentiales febres*, in quibus oscitationes malum portenderunt euentum. Cuiusmodi perquam memorabile exstat exemplum apud *Polydorum* VERGILIVM: *Subiit*, inquientem *e*), *aliud pestis genus Romae, vt cum quis sternuisset aliquoties, continuo occideret; – – item & oscitare simul lethale fuit; propter quod sese crucis signo repente communire consueuerunt, & hoc etiam nunc ab oscitantibus fit f).* Et paulo

d) In Dissertatione saepius iam citata, §. IX.

e) In Libris octo de rerum inuentoribus, Libr. VI. Cap. IX. pag. 392. & 393. Edit. Argentor. MDCVI.

f) Retinent veterem hunc morem etiamnunc nutrices aliaeque mulierculae, infantum gerentes curam; quippe quae

paulo post: *Oscitantes sibi timere ex quadam religione constat, quod oscitatio ex somno aut taedio sequatur, ac in iis, qui febrem habent, sit aduentantis seu potius augescentis febris indicium.* In quo vtroque febrium genere iam memorato quid causae subsit oscitationum, ex reliquis euidenter apparet symptomatibus; quae & de varia respirationis difficultate, & de euidenti primarum viarum debilitate inordinatoque eorundem motu peristaltico testantur, eoque nomine vitiosi huius oris rictus caussae euadunt (§. X. XVIII.).

§. XXI.

Nunc autem porro ad eorum signorum, quae variae de *morbis haemorrhagicis* diagnosi prognosique statuendae inseruiunt (§. XVI.), & ab oscitatione desumi possunt, euolutionem conuertenda est oratio. Quippe tam actiuae vel naturales, quam passiuae seu praeternaturales sanguinis effusiones, vt in scholis medicis vulgo audiunt, siue iustam excesserint copiam, siue parcius emanauerint vel penitus fuerint suppressae, mirum quantum omnino valent ad sanguinis ceterorumque humorum per vasa minima progressum mutandum, retardandum, sufflaminandumque, & hac ipsa ratione eas partes, quas natura masticandi respirandique negotio absoluendo praefecit, insigniter adficiendas (§. X.). Quibus verbis nostris exempla fidem danto. Primo itaque si ad *naturales* respiciamus *haemorrhagias,*

hiantes infantum recens natorum fauces, dum crebrius oscitare solent, crucis signo signant, ne forsan, nescio quid mali, illis accidat.

gias, haud infrequentes earum, cum suppressarum, tum excedentium atque profusarum, comites in variis obseruationum medicarum scriptoribus deprehendimus oscitationes crebras & adfatim semet inuicem excipientes, & semper intensiorum grauiorumque spasmorum complicatorum praesentium, vel saltem maxime imminentium, declaratrices. Memoratu hanc in rem dignissima sunt exempla, a *Philippo* HOECHSTETTERO, & *Vito* RIEDLINO relata: quorum prior *g*) virginem vidit quatuordecim annorum, texturae rarioris & exilis, nondum menstruas passam purgationes, & hinc in tantas tamque frequentes & quotidie quarta hora post meridiem redeuntes delapsam oscitationes, vt, quasi contractis conuulsisque thoracis musculis, pectus continua spasmodica iactatione concuteretur, non illaesis & dolenti consensu exclusis abdominalibus musculis; posterior vero itidem virginem obseruauit *h*), viginti duo annos natam, quae, nescio qua de causa, impedito catameniorum fluxu, primo plenissimum periculi spasmodicum suscepit asthma, paullo post vero tanta frequentia, tamque vehementi motu oscitare coepit, vt non solum exinde caput valde doluerit, sed & ipsum os aliquoties, tamquam luxatum, non, nisi aliorum adminiculo eleuatum, iterum claudi potuerit. Quibus longe

g) Videantur eiusdem *Rararum Obseruationum medicinalium Decades sex*, Dec. IV. Obs. IX. p. 447. seq. Edit. Francofurt. MDCLXXIV.

h) Referente ipso in *Lineis medicis*, Ann. I. Mense Nouembr. Obs. XVI. p. 385. Edit. Augustae Vindelicor. MDCXCV.

plura adiungere possemus eiusdem argumenti exempla, si reliquarum haemorrhagiarum, praecipue haemorrhoidum, anomalias, vitioso huiusmodi & oscitante oris rictu interdum stipatas, quae subinde attenta diuersorum Medicorum obseruatione animaduersae sunt, longiori persequi vellemus oratione.

§. XXII.

E contraria autem parte (§. XXI.) tam, quae natura fiunt, quam, quae externis inferuntur violentiis, copiosiores sanguinis profusiones ex superuenientibus oscitationibus saepenumero aestimari iudicarique possunt. *Quaeuis* enim *oscitatio*, rectissime monente illustri WALTHERO *i*), *praesertim sin crebrior fuerit, certos morbos intendit. Et inter hos haemorrhagiae quoque sunt. Quam ob rem in vulneribus grauioribus, deinde in immodica narium haemorrhagia, & haemoptysi, plurimum ea metuitur, & nocet.* Si ea enim, quae exinde diagnosticis adnumerari possunt signis, singulatim spectes, oscitatoriae huiusmodi haemorrhagiae, vt ita loqui liceat, haud dubiam Medico mouebant suspicionem, vasa sanguifera iam adeo nimis liquore suo esse vacuefacta, aut liberum vitalis liquidi ad neruos transfluxum ita interceptum, vt, naturali ipsorum robore imminuto atque infracto, ingens humorum lentor tarditasque progressionis inducatur. Cuius generis ista fuit capitis laesio, quae per ceruicem in dextrum cerebri ventriculum penetrauit, & frequentibus immodicisque oscitationibus pandiculationibus-

que

i) In *Dissertatione* saepius iam *citata*, §. XIX.

que miserrimum aegrotantem vehementer adflixit; quam *Iobus a* MEEKREN inter chirurgicas, ipso auctore foras datas, retulit obseruationes *k*). Plura non attingimus exempla, ne iustae officiamus breuitati.

§. XXIII.

Haud vero laetabiles haemorrhagiarum variarum euentus, vti ex iam disputatis (§. XIII. XIV. XXII.) facile coniici potest, immoderatae huiusmodi oscitationes portendunt. Quandoquidem vel eo nomine, quod difficillimi retardatique sanguinis fluidique neruei motus indicia ab oscitationibus petuntur (§. XIII.), valde ominosum est, si sub grauioribus huiusmodi haemorrhagiis aegroti intemperantius oscitant, metumque esse oportet aut longe effusioris, immoque funesti sanguinis profluuii, aut superuenturorum motuum conuulsiuorum, animique deliquiorum. Quos binos euentus exemplis confirmaturi, alterum, qui immoderatissimae sanguinis effusioni ansam dat, infra, dum mulierum nonnullos tangemus morbos, singularibus id genus historiis illustrabimus; alterum vero sequenti luculentissime probabimus obseruatione. Anno MDCCXLVII. amicorum nostrorum quidam frequentissima instituit canicidia, canibusque variis in locis, mox ex vno, mox ex pluribus foraminibus, iam venis, iam vero arteriis inflictis, omnem, quem potuit, sanguinem eo emisit consilio, vt attenta

k) In *Obseruationibus medico-chirurgicis, ex Belgico in Latinum translatis ab Abrahamo* BLASIO, Cap. XVI. p. 87. Edit. Amstelod. MDCLXXXII.

animaduersione singulas illas mutationes, quae animali fabricae ab eiusmodi vasorum vacuefactione atque collapsu accidunt, distincte obseruaret. Et ecce! simulac, insigni cruoris copia effusa, arteriarum pulsus debilior euadebat, misella haec animalia primo subinde tantum & infrequenter, dein vero aucta magis magisque frequentia oscitare coeperunt, donec sub ipsis immoderatissimis oscitationibus nerui musculique grauissime conuellerentur, mortemque indicerent mox accessuram *l)*.

§. XXIV.

Succedunt iam expediendi ii morbi, qui variis congestionibus sanguineis serosisque ortus debent suos, & plerumque acerbissimos dolores aegrotantibus inurunt: *motus* nempe *spasmodici*, *rheumatici*, *arthritici*, *conuulsiui*que (§. XVI.). Atque hi profecto, si qui alii vnquam, quasi familiares habent oscitationes morbosas; quarum proinde opportunissimus, ad diuersa signa in his morbis constituenda, est vsus. Nostri ergo plurimum interest propositi, praecipuos, si non omnes, huius classis adfectus ex vario oscitationum consortio diiudicare. Ergo vt a capite ordiamur, haud incommode nostram hic faciemus sententiam illustris *Michaelis* ALBERTI, dicentis *m)*: *Frequenter euenit, vt adfectus*

l) Ad illustranda haec phaenomena plurimum quoque lucis adferet docte conscripta Clarissimi *Phil. Georgii* SCHROEDERI Dissertatio *de Conuulsionibus ex haemorrhagia nimia oriundis;* Marburgi, MDCCLII.

m) In *Dissertatione saepenumero* iam *citata* §. X. p. 31.

ctus capitis congestorios, spasticos, & conuulsiuos, cum ventriculo consentientes, hoc symptoma, oscitatio nempe, molestet, eorumque sonticas exacerbationes, tanquam ominosus praecursor, indicet. Prae aliis vero illud cephalalgiarum genus, dum instat, crebrioribus prodi solet oscitationibus, quod a catarrhali serosaque ad glandulas saliuales aut membranam pituitariam metastasi inducitur, & plerumque obscuro obtusoque doloris sensu incommodat aegrotis. Cuius indicii caussas, si quis eruere velit, haud adeo longo difficilique opus est negotio, si ipse consideret modo, ob emissaria seri saliuaeque, abundante colluuie referta & nonnihil obstructa, capitis venas & durae matris sinus sanguine turgere insigniter, eaque de re contiguarum vicinarumque arteriarum motui ita obniti, vt consuetus per easdem humorum motus paullulum impediatur atque retardetur, ac sic oscitationum nascantur *n*) incitamenta (§. X.).

§. XXV.

Sed in vniuerso cardialgicorum colicorumque cruciatuum ambitu, qui etiam modo memoratis spasmorum finibus circumscribitur (§. XXIV.), quasi in propria sede, regnant oscitationes. Mirifice enim alimentarium canalem, quem ipsum cardialgiae colicaeque adfectiones adfligunt, cum iis consentire organis, quae oscitationi perficiendae inseruiunt, quotidianae experientiae locupletissimum testimonium confirmat. Quippe, vt Physiologi

n) Subtilius haec euoluta deprehenduntur in Celeberrimi WALTHERI *Dissertatione allegata*, §. XVIII.

logi exemplis rationibusque docent *o*), modica illa atque naturalis ventriculi distensio, quae a pastu fit, partim sola pressione insignique tunc temporis renisu, partim parariis phrenicis stomachicisque neruis inter se connexis conspirantibusque, partim denique leui illa temporariaque vasculorum per recentem chylificationem effecta plenitudine, ita superiectum ventriculo diaphragma ceterasque partes ad respirationem pertinentes leni adficit irritatione, vt non solum haud ita multo post ciborum adsumtionem fibrarum musculosarum atque neruearum accedat subobscurus torpor, maximaque in somnum procliuitas, verum etiam ea ratione oscitationes subinde excitentur (§. II. X.). Quod phaenomenon intuiti antiquiorum recentiorumque Medicorum nonnulli, quicquid est oscitationum, ex ipso ventriculo, licet false, deduxerunt. Exempli loco citare liceat *Rosinum* LENTILIVM, Medicum ceteroquin non vulgaris nominis famaeque: *Oscitatio*, inquientem *p*), *est multus ac copiosus vapor, ex ventriculo confertim surgens, & oesophagum cum ore distendens.*

§. XXVI.

Proinde quanto frequentiores atque profundiores oscitatorii oris rictus animaduertuntur, tanto certius signi diagnostici prognosticique loco in praesentibus aut accessum iam minantibus cardialgicis

o) Conferri quoque possunt plerique hactenus citati scriptores; speciatim, WALTHERVS in *Dissert. citat.* §. XV. & *Magnificus* PRAESES in *Dissert. citat.* §. XX.

p) In *Miscellaneis medico-practicis*, Part. III. p. 218.

gicis colicisque torminibus haberi possunt, tantoque maiora eiusmodi vitia in ventriculi intestinorumque actione adsunt. Quae cum multiplicis generis esse soleant, quaedam tantummodo in praesenti strictim attingemus. Nimirum huc pertinent stomachi infirmitas atque inertia, molesta a cibis potulentisque nimiis, aut duris dyspeptisque impletio, materiae crudae, viscidae, acidaeue collectio, verminosa colluuies, flatuum incarceratio, spasmi singulares, intestinorum tractum hinc inde infestantes, cartilaginis ensiformis depressio, & quae sunt id genus aliae, siue cardialgiae, siue colici doloris caussae *q*), partibus, respirationis negotio praefectis, simul molestae adeoque incommodantes, vt saepenumero insolita frequentia aegrotos ad oscitandum cogant. Qui incongrui motus si & diutius perseuerauerint, & crebrius redierint, vereri omnino Medicum decet, ne demum, vt saepe fit, insultus epileptici atque conuulsiui, aut in iis, qui immodica laborant plethora, apoplectici sint superuenturi.

§. XXVII.

Quae (§. XXVI.) ne temere nos dixisse videamur, testimonio nobis sunto certi quidam & fide digni auctores: quorum obseruationibus effatisque dicta nostra constabunt. Summatim haec complectitur vir iam saepius honorifice nominatus, *Augustus Fridericus* WALTHER, illos omnes, insolita quo-

q) Videsis quoque illustrem WALTHERVM in *Dissert. allegat.* §. XIX.

que ratione, oscitare adfirmans *r*), quicunque vermibus, & stomachi, & intestinorum torminibus, quin etiam plurium aliarum partium grauissimis doloribus discruciantur, vt inde quoque epilepsia futura metuatur ac saepenumero inducatur. E singularibus vero exemplis, obseruando cognitis, vnicum saltem tetigisse sufficiat, a *Christiano Francisco* PAVLLINI relatum *s*), vehementioris nimirum oscitationis & pandiculationis, in aegroto quodam animaduersae, a verminosa colluuie oriundae: quod ex eo apparuit, quoniam, idoneo remedio adhibito, vna cum lotio & aluinis fecibus innumeri minutissimi vermiculi albicantes, instar ascaridum, expulsi in conspectum venerunt; quo facto protinus oscitationis pandiculationisque insultus paululum remiserunt, sensimque, continuato porro medicamentorum anthelminticorum vsu, prorsus euanuerunt.

§. XXVIII.

Verum enim vero cum hoc spastico conuulsiuoque morborum genere (§. XXIV–XXVII.) confluunt quasi & committuntur fines reliquorum istorum grauissimorum periculosissimorumque adfectuum, a varia absoluta & paene immedicabili solidarum fluidarumque partium corruptione atque labe productorum: quippe vnde

Tot febres, tot languores, tot vbique dolores
A capite ad plantas humanum corpus vt extra,

Sic

r) In *Dissert. citat.* §. postremo.

s) In *Lance satura*, Decur. V. Obs. I. quocum confer *Michaelis* ALBERTI *Dissert. citat.* §. VIII.

Sic intus patitur; per singula membra venenum
Infudit natura homini; caput, & manus, & pes,
Et latus, & stomachus grauiter torquentur, & aures
Atque oculi, & fauces, renes; quid cetera dicam? t)

Atque etiam profecto hoc amplissimum & latissimo ambitu diffusum morborum genus, siue ad fibras respicias debilitatas eneruatasque, siue humores consideres lentos, impuros, inquinatos & acres, si non perpetuo omnibusque in corporis humani locis, subinde saltem frequenterque, torpidos impeditosque musculorum reddet motus, sanguinisque per pulmones transituri iter paullulum retardabit, idque eo magis totiesque, quotiescunque nouos repetitosque in corpus humanum meditatur impetus accessusque, & iamiam instat. Ex quo fieri non potest, si caussas supra expositas animo repetamus (§. X.), quin etiam crebriores superuenturae sint oscitationes, hocque nomine inter horum quoque morborum varias significationes haud postremum locum sibi vindicaturae.

§. XXIX.

Quae (§. XXVIII.) vt paucis illustremus exemplis, merito hic prae reliquis nominandi sunt adfectus hysterici hypochondriacique, nec non epileptici & conuulsiui, itemque soporosi & apoplectici: quorum omnium accessiones recursusque crebriorem oscitationem, tamquam ominosum praecursorem, indicare atque praedicere, quotidia-

t) *Marcellus* PALINGENIVS in *Zodiaco vitae*, Libr. VI. vers. 703. seq.

na experientia constat *u*). Idem hic actus in herniosis frequentissime obseruatur *x*), eo praesertim tempore, si intestinum elapsum flatibus fecibusque aluinis distenditur. Ii quoque, qui animo delinquuntur, paullo ante adfatim oscitare solent: quod si a caussa grauiori, verbi gratia, enormi haemorrhagia, vlcere interno & sphacelo visceris cuiusdam, pulmonum inprimis, acciderit, funestum euentum iamiam instantem portendit *y*). Rariores autem huiusmodi oscitationes obseruantur *z*), in scirrhis vomicisque pulmonum, licet hoc viscus valde adgrauantibus: cuius phaenomeni ratio ex nimia huius visceris laxitate tunc praesente vnice commodissimeque videtur expedienda.

§. XXX.

Sed ad finem properantes nos pedem parumper sistere iubent aliquot adfectiones, quae ad mulieres grauidas parturientesque, nec non infantes singulatim pertinent, seque itidem variis oscitationum accessibus insultibusque frequentioribus interdum produnt. Tametsi enim inter laetabilia conceptionis factae signa oscitationem quoque summus ille ceteroquin apud veteres Semiologus, HIPPOCRA-

u) Fusius haec exponunt *Magnificus* PRAESES in *Dissert. cit.* §. XXII. WALTHERVS & ALBERTI *loc. citatis.*

x) Singularim huius phaenomeni meminit WALTHERVS *loc. citat.*

y) Videatur *idem ibidem.*

z) Hoc quoque attigit phaenomenon modo allegatus WALTHERVS *loco citato.*

POCRATES, retulit *a*): ipſe tamen hoc indicium non omni dubio & exceptione maius exiſtimaſſe videtur. Contra ea vero huiusmodi vehementes & immoderatae oſcitationes, tam grauiditatis, quam puerperii tempore, certioris detrimenti ſunt praenunciatrices; ſiquidem plerumque ſanguinis, non per vteri ſolum, ſed & aliorum viſcerum vaſa, propter tumores, infarctus, ſcirrhos, atque vlcera, transgreſſum difficilem impeditumque declarant. Cuius cauſſae intuitu iam veteres, PLINIVS *ſenior*, SOLINVS, aliique oſcitationem in enixu lethalem iudicarunt *b*). Dum enim organa reſpirationi inſeruientia crebrius ab oſcitationis motu agitantur, interceptis turbatisque parturientis laboribus, partus redditur difficilior, immo ſaepius, vbi inſignis vteri languor ſimul adeſt, vel funeſtae vteri inflammationi atque gangraenae, vel haud leuiori eiusdem partis haemorrhagiae oriundae anſa ſubminiſtratur. Cuius generis locupletiſſimum exemplum illuſtris WALTHERVS *c*) in puerpera vidit grauius oſcitante, quae cum infante & ſecundinis tantam ſanguinis copiam ex vtero profudit, vt altero horae momento animam quoque efflaret. Quam peſſimi vero ominis in grauida muliere immodicae huiusmodi ſint oſcitationes, ſingulari eximie illuſtrauit hiſtoria clariſſimus Editor operis cuius-

a) In *Libro de Superfoetatione*, §. IX.

b) PLINIVS in *Hiſtor. natural.* Libr. VII. Cap. VI. & SOLINVS in *Polyhiſtore*.

c) In *Diſſert. citat.* §. XIX.

dam *Coschwitziani d*). Hic enim huius conditionis feminam vidit, quae vltimo trimestri, quo vterum secundum gestabat, per vnam, duas, tresue diei horas sine interuallo fere oscitauit, hocque malo hinc per continuum vteri tertium gestandi tempus, ad sextum etiam post vltimum partum mensem, adflicta fuit, donec tandem hectica exspirasset. Secta haec fistulosum vteri vlcus, & plures pulmonum tophos praebuit conspiciendos. Quae supersunt denique, *frequentes* illae *infantum recens natorum oscitationes*, quum a naturali instrumentorum, respirationi destinatorum, inertia oriantur, ceteroqui vero, vti a WALTHERO luculentissime demonstratum est *e*), in salutem magis, quam detrimentum infantum vergant, nos nunc amplius non occupabunt, finem Dissertationi nostrae impositurus, & nostra qualiacunque conamina aequis benignisque lectoribus commendaturos.

d) In Praefatione ad *Libr. de Grauidarum, puerperarum & infantum recens natorum affectibus*, Lips. MDCCXXXII.
e) *Dissert. & §. citatt.*

S. D. G.

Erlau-

Erlaube, da Dein Fuß aus unsern Triften eilet;
Sobald Hygea Dir den Doctor-Hut ertheilet,
Daß meine Pflicht Dir noch ihr leztes Opfer bringe
Und Deinen Ruhm nur kurz in stumme Sylben zwinge.
Mein Finger! Dieser Zoll ist wohl der Freundschaft werth,
Die unter uns ein Trieb zur Eintracht aufgeklärt.
Du hast geliebt: und wen? Wen sonst als Meditrinen?
Wie hat sie Dich belohnt? Vielleicht mit spröden Minen?
O nein! Sie schloß Dir gleich ihr fühlend Herze auf
Und hinderte durch nichts der heissen Triebe Lauf.
Umarme nun Dein Glück, daß Du Dir, Freund! verdienet;
Du bist des Kranzes werth, der Deine Stirn umgrünet!
Zieh hin! Elysien bestimmt des Fleißes Lohn:
Die Eltern fordern nun den wohlgerathnen Sohn.
Zerbrich durch Deine Kunst der Kranckheit schwehre Ketten!
Empfinde, wenn Du wirst die Braut des Jünglings retten,
Die Regung seiner Lust, die Danck und Seegen bringt,
Weil ihre Hand nicht mehr mit Todt und Ohnmacht ringt.
Bald wird des Greises Wunsch Dir kräftgen Seegen geben,
Der zitternd zu Dir kam für seines Enckels Leben,
Den Deine Wissenschaft, nächst GOtt, ihm wieder gab
Zu seines Alters Trost und grauen Hauptes Stab.
Bald wird der Sohn zu Dir, bald wird die Tochter eilen,
Daß Du der Eltern Schmerz durch Deine Kunst solst heilen.
O! solche Scenen sind für einen Artzt wohl werth,
Daß keine faule Ruh die theure Pflicht versehrt,
Wozu ihn Schwur und Amt aufs heiligste verbindet,
Daß ihn des Nächsten Noth niemalen zaudernd findet.
Erwege, wo Du fühlst, den Reichthum dieser Lust:
Ist ihres gleichen wohl: wenn die geheilte Brust
Erkenntlich schlägt und klopft, und, voll von Regung, wallet,
Und gleichsam Danckbarkeit, Gefühl und Seegen lallet?
Die Vorsicht trennet uns: Freund! folge ihrer Hand!
Verbreite Deinen Ruhm nun bald durchs Vaterland!

Und wenn in seinem Schooß Dir Glück und Freude lachen,
So soll die Freundschaft mich entfernt auch fühlbar machen.

Dieses widmete, mit der Versicherung und mit allen Empfindungen einer unverletzlichen Freundschaft, des hochgeehrtesten Herrn Doctoranden ergebenster Freund

Joh. Andreas Wilhelm Büchner, M. D.

Freund, wie erhaben ist das Herz des Weisen!
Sein scharfes Auge spüht den Werth der Dinge,
Er schäzt das Gute, er verwirft das Böse,
Und wählt das Beste.
Das Glükke folgt ihm mit beyrnden Schritte,
Zufriednes Lächeln strömt aus seinen Mienen,
Sein Herze fließt von reinen Freuden über
Und preißt sich seelig.
Freund! diese Wollust gleichfals zu empfinden,
Hast Du die Zeiten klüglich abgemeßen,
Du hast die Lehren der erhabnen Weisheit
Gründlich erlernet.
Du giebst uns itzund öffentlich ein Zeugniß,
Von Deiner Stärcke in den Wissenschaften,
Ein jeder jauchzt Dir feyerlich entgegen
Und wünscht Dir Glükke.
Dis reizt mich gleichfals, Dich, o Freund! zu segnen,
Sei stets zufrieden, sey vollkommen glücklich,
Doch dencke manchmahl auch an den zurükke
Der stets Dein Freund bleibt.

Zu einem beständigen Denckmahl unserer aufrichtigen Freundschaft, schrieb dieses des Hrn. Doctoranden gehorsamster Diener

J. S. Hilscher.